



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De triplici libro Instrumentorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

tellarj Archiepiscopalis, in quo describam, seu describendum, vel redigendum curabo à personis mihi fidei (Hic ponat naturam rei continentem in libro; ut puta) legata p̄ia quæ nota sient, breuia, & literas Apostolicas facultatum, & priuilegiarum concessorum ecclesiæ Mediolanensi, incipiendo ab anno 1579. in Kal. Ianuarij; qui quidem liber est foliorum 800. & in fidem prædicta scripti; adhibito meo consueto tabellionatus signo.

Ego idem N. Notarius, & Cancellarius scripsi, & subscripsi manu propria.

Libri omnes in Cancellaria perpetuo seruandi, præterquam causarum, & huiusmodi, conficiantur in charta magna, dicta: Quaternorum; omnesq; sint eiusdem mensuræ.

Libri verò causarum, tam civilium, quam criminalium, sint ex charta media; ac inter se eiusdem mensuræ: ex eadem charta media sint folia, & quaterni, quibus in casibus ea adhiberi iubemus loco librorum.

Filiciæ omnes habeant Chartonem in inferiori, & superiori parte, cum descriptione vniuscuiusque filiciæ, vt facilius, & conferuentur, & reperiantur scriptura.

Cancellario curæ sit maxime, vt tam, quæ ab illo per seipsum expedienda sunt, quam quæ ab eius substitutis, omnicelebritate, & diligentia sine vlla mora quoad fieri possit expediatur; tum etiã literæ patentes, & exempla scripturarum, quæ à Cancellario exeunt quauis causa, vel nomine, sint plenè emendatæ, etiã quod attinet ad orthographiam.

De triplici libro Instrumentorum.

Primus liber Darius, seu folia re p̄te stipulationis.

Habeat Cancellarius librum, in quo tempore stipulationis scribantur veluti per compendium instrumenta, quæ per ipsum, & Notarios eius substitutos nomine suo rogari contigerit in officio.

Quod si extra officium de aliquo instrumento rogatus ad cancellariam quouis modo pertinenti fuerit aliquis eorum, & in folio descripserit, is reponat folium in filicia.

Omnino autem intra duos menses redigantur in Prothocollum instrumenta illa singula, tam quæ in libro, quam quæ in folijs prædictis descripta erunt: excipiantur tamen instrumenta, quæ ad telam iudicariam pertinent; ea enim redigenda erunt in actis causæ in librum illum, vel folium; non autem in Prothocollum.

Secundus liber Prothocoll.

Prothocollum verò sit notatum per numerum foliorum, & Cancellarius sub hæc formula, in principio dicti Prothocollum manu sua scribat.

In nomine Domini, Amen. Hoc est Prothocollum meum N. Notarij, & Cancellarij Archiepiscopalis, in quo describam, & redigam, seu describenda, vel redigenda curabo à personis mihi fidei, omnia instrumenta, quæ ad Cancellariam pertinent; & ex decretis, & constitutionibus cancellariæ in Prothocollum redigi debent, de quibus me rogari contigerit; incipiendo ab anno 1579: quod quidem Prothocollum est foliorum. Et in fidem prædicta scripsi; adhibito etiã meo consueto tabellionatus signo.

Et hoc etiã subscripsit Illustrissimus, & Reuerendissimus Cardinalis Archiepiscopus, vel, Reuerendus Vicarius generalis; & in singulis abbreviaturis in Prothocollum redactis subscribat per huiusmodi verba.

N. N. Cancellarius, & Notarius rogatus.

Idcirco omnes substituti, qui receperint instrumenta ad Cancellariam pertinentia (exceptis ijs, quæ ad telam iudicariam spectant vt supra) teneantur, si in ciuitate receperint, eo die quo receperint; si vero extra, intra quindecim dies ab eo die quo receperint, consignare folium, seu folia abbreviaturæ, & instrumenti quod receperint, cancellario, sub pena quinquaginta aureorum, & alia arbitrio Archiepiscopi.

Cancellarius etiã seruet in filicia ea omnia folia vna cum suis collecta, reductaq; in ordinem, per seriem dierum, mensium, & annorum: & vtunque, filiciam scilicet, & prothocollum sub clauis, vt supra dictum est.

Filicia.

Cum verò contingeret peti, vt aliquod instru-

Tertius liber extensorum.

instrumentum a partibus in publicam formam redigatur, vel aliis promulgetur; extendatur in alio libro quem habeat extensorum; ad hoc, ut cum contigerit aliquid promulgandum, seruetur conformitas; tunc verò in prothocollo illo promulgato addatur in margine hæc verba: [Editum, & extensum;] adjiciaturque nomen eius cui editum est; ut putà, [venditori, conductorive.

Rubicella. Conficiat præterea Rubricellam instrumentorum omnium; in qua ponantur ordine alphabetico, titulus contractus, nomina contrahentium, & folia prothocolli: sed advertatur, ut, ubi contrahitur cum Ecclesia, ponatur ecclesia, non autem titularis, seu procurator; sic etiam in alijs, principalis, non procurator, & in margine ponatur locus, ut putà.

Inuestitura Vineæ facta per Ecclesiam Parochialem S. Martini, in fol. 100.

In his tribus libris ponantur etiam instrumenta ad Seminarium, & ad moniales pertinentia; non autem quæ ad Officium Sanctæ Inquisitionis.

De libro Registri literarum pateticium cum rogitu, & testibus.

Habeat Cancellarius librum auctoritate publica munitum, expeditionum voluntariæ iurisdictionis, in quo describat omnes patentes literas, quæ non sunt per instrumenta, sed per patentes cum rogitu adhibitis testibus, ut putà.

Erectiones beneficiorum, & dignitatum, ac monasteriorum, & piorum locorum, ac officiorum ecclesiasticorum.

Uniones perpetuas, translationes, reductiones missarum, annuierariorum, onerumque attributiones, expeditiones alias, quibus mutatur in perpetuum status beneficiorum in aliquo.

Consecrationes ecclesiarum.

Facultates ab Archiepiscopo, aut alia ratione datas cognoscendi causas, & alia quæ iurisdictionis sunt exercendi.

Collationes, & provisiones beneficiorum.

Electiones Vicariorum, & aliorum ministrorum fori.

Creationes Notariorum.

Literas dimissorias.

Absolutiones ad effectum agendi.

Item absolutiones gratiosas.

Dispensationes in casibus, in quibus potest Archiepiscopus dispensare.

Alia quæcunque, quæ expediri possint per patentes, & requirunt rogatum Notarii; non tamen pertinentia ad Officium Sanctæ Inquisitionis.

In hoc libro extendantur omnes expeditiones de verbo ad verbum.

De libro Registri literarum pateticium sine rogitu, aut testibus.

Habeat alium librum publica auctoritate fulcitum; in quo describantur omnia voluntariæ iurisdictionis, quæ fiunt per patentes literas, in quibus non est necesse, ut Notarius de illis sit rogatus, aut testes adhibiti; ut putà, facultates.

Prædicandi.

Confessiones audiendi.

Transferendi corpora mortuorum.

Sepeliendi non obstante interdicto.

Locandi domum laicis.

Cohabitandi cum feminis.

Recedendi ab ecclesia sua.

Alia quæcunque, varia rogatum non requirunt, exceptis quæ pertinent ad monasteria monialium; de quibus fiat liber separatus, ut infra.

In hoc libro ponantur expeditiones extensæ de verbo ad verbum, eo modo quo conceduntur; illis exceptis, quæ habent unam, vel plures formas prescriptas, & expressas; in quibus satis erit de scribere diem, & nomina, & alias circumstantias adiectas sigillatim præter formam, ac si quid de formula immutatum est; in reliquis se remittere ad formam.

Si plures formulæ sint, dicatur concessa ad primam, vel secundam, vel tertiam formam: ipsæ verò singule formulæ omnes descriptæ sint

in principio libri.

De li-